

# De B. Virginis Mariae sanctificatione [Fortsetzung]

Autor(en): **Prado, Norbertus del**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **20 (1906)**

PDF erstellt am: **09.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761890>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.


## DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Commentatio in D. Thomae Summae Theologiae P. 3 qu. 27.

(Sequitur vol. XX p. 238. 346.)

SCRIPSIT

FR. NORBERTUS DEL PRADO ORD. PRAED.



## Caput secundum.

## I. Conclusio.

Secundum fidem catholicam dicendum est, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem seu post infusionem animae rationalis, posterioritate naturae tantum, non autem posterioritate temporis, ac proinde in ipsomet primo instanti eiusdem animationis.

§ 1. Argumentum primum ex ipsa definitione dogmatica.

Pius IX. in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus*: „Implorato universae coelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae et christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus: Doctrinam, quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpa labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.“

Ex quibus habetur: 1) B. Virginem indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, ut D. Thomas docet in art. 2. 2) Fuisse redemptam a Christo specialissimo modo redemptionis; qui quidem modus in hoc consistit, quod „singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio ab omni originalis culpa labe praeservata immunis fuit intuitu meritorum Christi Iesu“, qui est Salvator omnium, ut D. Thomas adeo sollicite conatur propugnare in art. 2.

3) Fuisse culpae originali obnoxiam; id est habuisse necessitatem incurrendi peccatum originale; ac proinde „affirmari non potest, ipsam immunem prorsus fuisse a debito proximo contrahendi peccati“. 4) Minime tamen culpam originalem actu incurrisset, sed ab omni originalis culpae labe immunem fuisse ex gratia Christi Salvatoris culpam praeveniente et animam B. Virginis praeservante atque formaliter sanctificante.

Unde 1) infusio gratiae sanctificantis supponit productionem animae, in cuius essentia infunditur; 2) infusio gratiae sanctificantis praevenit, in persona B. Virginis iam constituta, peccati maculam, quae tunc incurrenda erat, nisi gratia illam impedisset; ut observat Caietanus in hoc art. 2. Primum idem est ac dicere: B. Virginem fuisse sanctificatam post animationem posterioritate naturae. Alterum idem est ac dicere: B. Virginem fuisse simul conditam in esse naturae et in esse gratiae sanctificantis, ac proinde in ipso primo instanti animationis sanctificatam; ergo minime sanctificatam fuisse post animationem posterioritate temporis.

Certum est igitur, B. Virginem fuisse redemptam et a peccato originali quoque redemptam: a) habuisse proinde debitum proximum in sua propria persona contrahendi originale peccatum; nam aliter B. Virgo non fuisset redempta seu intuitu meritorum Christi praeservata a peccato. In debito proximo includitur debitum remotum; at habere debitum remotum non pugnat cum sanctificatione ante animationem, in cuius hypothesi B. Virgo non esset redempta, quamvis fuisset a peccato praeservata. b) Sanctificationem angelorum et protoparentum et Homini Christi non posse dici redemptionem; quia nullum supponit peccatum, nec actu nec in potentia debitricem. Sanctificationem autem B. Virginis dicendam esse redemptionem intuitu meritorum Christi; quia B. Virgo vi suae naturalis originis habuisset peccatum. Unde si Beata Virgo in primo instanti existentiae suae fuisset sibi permessa secundum legem communem, ne ei applicata fuissent merita Redemptoris et ex his meritis infusa gratia, habuisset actu maculam culpae originalis, sicut omnes filii Adam.

§ 2. Argumentum secundum ex consuetudine ac praxi universalis Ecclesiae.

Non celebratur festum Ecclesiae nisi pro aliquo Sancto. Sed licet tempore D. Thomae Romana Ecclesia Conceptionem

B. V. omisit, postea tamen 1) celebravit; 2) Ecclesiae mentem in celebratione huius festivitatis declaravit, scilicet „B. Virginis animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem.“ Ita Alexander VII. Const. Sollicitudo omnium Ecclesiarum 8. Dec. 1661. Ergo, cum Ecclesia in credendo errare non possit, et non solum Ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed ne Ecclesia quidem, quae nunc est, quaeve futura est usque ad consummationem saeculi, errare in fide aut potest aut poterit (Can. de Locis, lib. 4. cap. 4.); inde ex praxi et consuetudine Ecclesiae universalis celebrantis festum Immaculatae Conceptionis sequitur et datur intelligi, quod B. Virgo in sua conceptione fuerit sancta: proinde quod fuerit a macula peccati originalis praeservata immunis.

§ 3. Argumentum tertium ex documentis Romanorum Pontificum.

Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, „nihil potius habuit quam eloquentissimis quibuscumque modis Immaculatam Virginis Conceptionem eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare“. Nam 1) licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebraret, tolerabat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Quapropter D. Thomas scripsit: „Talis celebritas non est totaliter reprobanda.“ (A. 2 ad 3.) 2) Deinde Sixtus IV. Const. *Cum praeclsa* anno 1476 festivitatis huius celebrationem commendavit et ad eam celebrandam fideles indulgentiis et peccatorum remissionibus invitavit. 3) Postea idem Pontifex Const. *Grave nimis* anno 1483 reprobavit tamquam falsam et erroneam assertionem eorum, qui affirmare praesumerent, Romanam Ecclesiam ex spirituali dumtaxat conceptione et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare. 4) Posterius S. Pius V. Const. *Quod a nobis* anno 1568 festum idem inseruit Kalendario et Breviario Romano, atque ita recensuit inter festa, quae de praecepto ab universa Ecclesia divinis officiis celebranda essent. Idem Pontifex officio veteri substituens officium Nativitatis, parem fecit cultum Conceptionis cultui Nativitatis. 5) Idem Romanus Pontifex Pius V. inter Bani propositiones hanc ordine 73. Apostolico stigmate confixit:

„Nemo praeter Christum est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum.“ 6) Paulus V. decreto Inquisitionis anno 1617. interdixit, ne Immaculata Conceptio pudice impugnaretur. 7) Gregorius XV. decreto Inquisitionis anno 1622. praecepit, ut in festo hoc celebrando, tam in Missa quam in divinis officiis, sive publice sive privatim non alio quam Conceptionis nomine uti omnes deberent. Idem Pontifex decreto Inquisitionis anno 1622. prohibuit, ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus aut aliis quibuscumque actibus publicis auderet asserere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. 8) Alexander VII. anno 1661. decretum Gregorii XV. innovavit sua Constitutione et authentice declaravit, ut nullus esset amplius dubitandi locus, obiectum cultus in celebratione festi esse sanctitatem B. Virginis in primo instanti suae existentiae. 9) Clemens XI. ineunte saeculo 18. universae Ecclesiae festum Immaculatae Conceptionis celebrandum imposuit.

Iam vero: a) „Romana Ecclesia Patrum fidelium e consensu „Apostolica“ dicitur, cum reliquae omnes iam inde a multis annis hoc cognomen amiserint.“ Et b) „Apostolicam Sedem a fide non posse Christi deficere.“ Et c) „In definienda fidei quaestione Romanus Episcopus errare non potest“. (Can. de Locis, lib. 6 cap. 7.) Ergo adhuc ante solemnem definitionem Immaculatae Conceptionis factam a Pio IX. anno 1854. per suam Bullam *Ineffabilis Deus* colligere licebat ratiocinio theologico, doctrinam Immaculatae Conceptionis esse revelatam, ex supradictis, quae ad tria possunt reduci. 1) Ex eo, quod festi celebratio praecipua est a Romano Pontifice. 2) Ex eo, quod declaratum fuit a Romano Pontifice, obiectum cultus in celebratione festi esse praeservationem B. Virginis a macula peccati originalis speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi. 3) Ex eo, quod etiam prohibitum fuit decreto Romani Pontificis: a) asserere in quibuscumque actibus publicis; b) deinde etiam in privatis colloquiis et scriptis, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

§ 4. Argumentum quartum ex declaratione Concilii Tridentini.

Tridentina Synodus, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo iuxta Sacrarum Scripturarum Sanctorumque Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit ac definivit, omnes nasci originali culpa

infectos, tamen solemniter declaravit, non esse suae intentionis in decreto ipso tantaque definitionis amplitudine comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Dei genitricem Mariam. Sess. 5a Decret. de peccato originali, can. 5: „Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.“ Sed hac declaratione Tridentini Patres unum videntur insinuare et alterum perspicue significare. Innuere quidem: ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe esse solutam. Perspicue autem significare: Nihil ex Divinis Litteris, nihil ex traditione Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur. Ergo haec Tridentini Concilii declaratio haud leve exhibet pro Immaculata Virginis Conceptione indicium: quod in Bulla *Ineffabilis Deus* dicitur etiam esse profecto gravissimum et omnino maximum.

§ 5. Argumentum quintum sumptum ex Div. Litteris, ex Traditione atque ex Patrum ac Doctorum auctoritate.

Ex Div. Litteris haec sunt illustriora loca. 1) Genes. 3, 14 et 15: „Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es . . . Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.“ Ex Proverb. 8, 22 et seq.: „Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.“ Et Cantic. 4, 7: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in Te.“ Sap. 7, 26: „Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius.“ Eccl. 24, 5: „Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.“ Ibid. v. 24: „Ego Mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei.“ Ezech. 44, 1 sqq.: „Et convertit me ad viam portae sanctuarii exterioris . . . Et dixit Dominus ad me: porta haec clausa erit . . . et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea . . . Et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini.“ 2) Matthaei 1, 16: „Maria, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.“ Lucae 1, 28: „Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.“ Et v. 49:

„Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.“ Et Ioan. c. 19, 25. 26. et 27: „Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius . . . Cum vidisset ergo Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri Suae: Ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.“ Apocal. 12, 1: „Et signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.“ Ibid. v. 17: „Et iratus est draco in Mulierem; et abiit facere proelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu Christi.“

Haec sunt illustriora loca S. Scripturae, in quibus oportet quaerere veritatem Immaculatae Conceptionis, si huiusmodi veritas fidei in verbo Dei scripto continetur. Et revera, ut Pius IX. in Bulla *Ineffabilis Deus* tradit, sicut Christus, Dei hominumque Mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit; sic Sanctissima Virgo, arcissimo ac indissolubili vinculo cum Eo coniuncta, una cum Illo et per Illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit.“

Ex Divina Traditione sive ex verbo Dei tradito. Traditiones Divinae cognoscuntur: 1) Ex praxi Ecclesiae catholicae apostolicae Romanae; 2) ex doctrina constanter ac communiter tradita in Ecclesia per SS. Patres et Doctores. Quoad praxim Ecclesiae habetur, quod festum Conceptionis B. Virginis celebrabatur in Ecclesia Christi; et historia videtur posse probare, huiusmodi festivitatem reperiri iam institutam saeculo V. et VI. in Ecclesia Graeca et saeculo VIII. et IX. in Ecclesia Latina. Quoad S. Patres et Doctores constat, quod sive evolvendo locos Scripturae supra citatos sive occasione quaestionis de peccato, de natura et gratia, tradunt constanter et laudant ex communi consensu excellentissimam Virginis dignitatem, sanctitatem altissimam ac puritatem maximam, sive comparando illam cum Eva in statu innocentiae sive adhibendo figuras et symbola S. Scripturae sive extollendo eius perfectionem in ordine gratiae supra ipsos angelos et proclamando illam ab omni labe peccati immunem.

Quid Patres de puritate B. Virginis cogitaverint, cognosci potest maxime ex illis verbis S. Augustini lib. de natura et gratia c. 39: „Exceptaque itaque Sancta Virgine Maria,

de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.“

Patet praecipue ex S. Bernardo, qui inter plura et haec pulchra atque splendidiora praedicat de B. Virgine: 1) Quod ipsa est Mediatrix ad Mediatorem et sicut Eva fuit ministra seductionis, Maria fuit propitiationis. 2) Quod „ipsa est quaedam a Deo promissa mulier“ (Genes. c. 3) serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haeticam pravitatem“. 3) Quod „ipsa est mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius . . . Mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta“. (Serm. de duodecim praerogativis B. M. V.) 4) Quod Deus redempturus humanum genus „pretium universum contulit in Mariam . . . et totum nos habere voluit per Mariam“. (Serm. de Nativitate B. V.)

Patet quoque ex ipso D. Thoma, qui in expositione salutationis angelicae hanc adeo profundam ac magnificam de B. Virgine tradit doctrinam: „Magnum enim est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in B. Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa . . . Sic ergo plena est gratia, et excedit angelos in plenitudine gratiae.“

Ergo dicendum est, quod veritas revelata Immaculatae Conceptionis, id est B. Virginis ab omni prorsus labe immunitas videtur 1) contineri in verbo Dei scripto seu in S. Scriptura proxime et immediate, licet implexe, contracte ac subobscura. 2) Habere magnum nexum atque omnino cohaerere cum admirabili eiusdem sanctitate et praecelsa Dei Matris dignitate. 3) Verbo Dei tradito etiam commissa fuisse, cuius quidem traditio apparet plus minusve explicata in ipsa consuetudine aliquarum Ecclesiarum festum Conceptionis celebrantium et in ipsa doctrina Patrum puritatem Virginis constanter extollentium. 4) Incepisse explicari et evolvi, dum in medio aevo S. Bernardus modos



erroneos<sup>1</sup> intelligendi Immaculatam conceptionem damnavit; et postea B. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, et Scotus posuerunt modo scholastico quaestionem, adducendo rationes in pro et contra, inclinando se in unam vel alteram partem, et declarando tempus vel instans huius sanctificationis esse ignoratum, ac proinde, quod exspectare oporteret iudicium Ecclesiae. 5) Exinde sub magisterio Ecclesiae Romanae quaestio incepit magis magisque clarescere et determinari; atque „prisca illa coelestis doctrinae dogmata acceperunt evidentiam, lucem, distinctionem“; usquequo Spiritus Sanctus regens Ecclesiam et movens corda fidelium et assistens Romanis Pontificibus in definienda doctrina de fide et moribus tanti Mysterii arcuum Ecclesiae suae patefecit.

§ 6. Argumentum sextum ex rationibus theologicis.

Veritas Immaculae Conceptionis est veluti corollarium illorum principiorum, quae ex D. Thoma deprompta et supra allata sunt. Unde sit:

Ratio prima. „Sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas.“ Sed „Christus nullo modo contraxit peccatum originale, sed in ipsa sua conceptione fuit sanctus“, vi ipsius conceptionis. Ergo B. Virginis puritas maxima sub Christo requirebat, quod etsi B. Virgo contraxerit peccatum originale in potentia debitrice, non tamen actu; et licet non fuerit sancta vi ipsius conceptionis, fuerit tamen immunis a peccato originali in ipso primo instanti suae conceptionis ex singulari gratia et privilegio. (Art. 2 ad 2.)

Ratio secunda. B. Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit et etiam aliquid excellentius ultra privilegia ex lege speciali collata aliquibus Sanctis. Sed iuxta legem communem nemo sanctificatur nisi post natiuitatem ex utero; iuxta privilegium ex lege speciali aliqui, ut S. Ioannes Baptista et Ieremias, fuerunt sanctificati ante

<sup>1</sup> Rosminius in modum etiam erroneum explicandi Immaculatam Conceptionem incidit. Unde illa Rosminiana propositio 34. damnata a Leone XIII. die 14. Decembris 1887, scilicet: „Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore orietur Virgo Maria.“ Ex hoc Rosminiano errore potest Theologus iterum colligere, quare D. Thomas et alii Doctores tam insistenter negabant, B. V. Mariam esse sanctificatam ante eius animationem.

nativitatem ex utero. Ergo B. Virgo, cuius sanctificatio debuit esse excellentior, sanctificata fuit in primo instanti suae animationis, quae dicitur nativitas in utero.

Ratio tertia. B. Virgo „genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis“, de cuius plenitudine omnes nos accepimus gratiam pro gratia; et ex B. Virgine natus est Iesus, qui vocatur Christus, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum. Ergo B. Virgo prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae debuit accipere atque speciali modo debuit fieri salva a peccato. Sed esse praeservatam ab originali peccato ex praevisa morte Filii Dei, intuitu meritorum Christi, nihil aliud est nisi specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali, qui Christo attribuitur respectu suae Matris. Ergo tenendum est, B. Virginem non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animae, infusa illi anima, praeservatam fuisse ab originali peccato.

Ratio quarta. B. Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit. Sed non fuisset idonea Mater Dei, si pecasset aliquando, ut D. Thomas ostendit triplici ratione in Art. 4. huius quaestionis. Ergo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum incurrit nec mortale nec veniale nec originale.

Ratio quinta. S. Dei Genitrix in sua Assumptione exaltata est super choros Angelorum ad coelestia regna. Unde in Conceptione sua accipere debuit benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo. Maria enim est illa vera civitas Dei, cuius fundamenta in montibus sanctis, et in quam nihil inquinatum incurrit, et cuius candor est speciosior sole et ipsa luce purior.

§ 7. Argumentum septimum ex doctrina D. Thomae.

D. Thomas lib. 1. Sent. dist. 44. qu. 1 a. 3 ad 3 declarans illam sententiam S. Anselmi: „Decuit, ut Virgo, quam Deus Unigenito Filio suo praeparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi,“ ait: „Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit, tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.“ Et Compend. Theolog. c. 224 de sanctificatione Matris

Christi: „Quia igitur B. Virgo Maria Mater Filii Dei facta est de Spiritu Sancto accipiens, decuit, ut excellentissima puritate mundaretur, per quam congrueret tanto Filio; et ideo credendum est eam ab omni labe actualis peccati immunem fuisse, non tantum mortalis, sed etiam venialis; quod nulli Sanctorum convenire potest post Christum, cum dicatur 1. Ioan. 1, 8: „Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.“ Sed de B. Virgine Matre Dei intelligi potest, quod Cantic. 4, 7 dicitur: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in Te.“ Nec solum a peccato actuali immunis fuit, sed etiam ab originali, speciali privilegio mundata.“ Et in Ps. 18 scribit: „Quod ergo dicit: In sole posuit, id est corpus suum posuit in sole; id est in B. Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati.“ Et in Ps. 14 tradit: „In Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit.“ Et 1. 2ae qu. 81 a. 5 ad 3: „Oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Psalm 92, 5: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.“<sup>1</sup>

## II.

### § 1. Observationes.

Prima. Illud ante omnia notandum, quod D. Thomas infra qu. 34 tractans de conceptione et sanctificatione Christi statim in a. 1 ponit quaestionem in terminis quaerens: Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam. Et cum Angelicus Doctor agit de sanctificatione Beatissimae Virginis, numquam ponit quaestionem hoc modo, sed semper sic: Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem vel ante infusionem animae. Ac semper concludit, quod post animationem, post infusionem animae. Ac deinde non curat distinguere nec declarare, utrum in primo instanti vel post primum instans, utrum posteritate naturae et ordinis solummodo vel etiam posteritate temporis. Sed adiungit, quod tempus

<sup>1</sup> „Dans le commentaire de St. Thomas sur la salutation angelique, tel que M. Uccelli l'a trouvé dans quatre excellents manuscrits contemporains du Saint Docteur, on lit vers la fin: „Excedit angelos quantum ad puritatem; quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam; quia ipsa Virgo nec originale nec mortale nec veniale peccatum incurrit.“ (Malou, L'Immaculée Conception, T. 2 c. 13.)

sanctificationis eius ignoratur; et in Quodlib. 6 a. 7, ubi quaerit: Utrum liceat celebrare Conceptionem Dominae nostrae, consignat opinionem tunc communem apud Doctores dicendū sic: „Creditur enim, quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata.“

Unde tota intentio D. Thomae, quotiescumque pertractat vel tangit hanc quaestionem, reducitur: 1) Ad stabiliendam radicalem differentiam inter Conceptionem Christi et conceptionem Virginis Matris. 2) Ad propugnandam dignitatem Christi, qui est Salvator omnium et non indiget salvari. 3) Ad ostendendum, quod B. Virgo indiguit salute, quae est per Christum. 4) Quod fuit sanctificata post animationem. 5) Quod fuit a peccato originali quodam speciali modo purgata, „eo quod in ipsa sanctificatione copiosius ceteris munus gratiae accepit“. Sed de instanti sanctificationis: 1) vel dicit, quod ignoratur; 2) vel iudicat, quod ab aliis existimabatur; 3) vel quasi ex industria eligit nec loqui nec determinare. Ut apparet ex Summa Theol. qu. 27 a. 2; ex Compend. Theol. c. 224; ex lib. 3. Sent. et alibi.

Secunda. Ex ipsamet dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis apparet corroborata doctrina a D. Thoma in hoc a. 2 adeo vehementer propugnata, videlicet quod Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem. Eo ipso, quod Beatissima Virgo Maria ex singulari Dei privilegio fuit praeservata immunis ab omni originalis culpa labe per infusionem gratiae sanctificantis in primo instanti eius animationis; idcirco non fuit sanctificata: 1) nec in suis parentibus; 2) nec ex vi suae conceptionis; 3) nec antequam animaretur caro seu corpus eius.

Tertia. Dicere etiam oportet: 1) Quod B. Virgo Maria indiguit redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. 1, 21: Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. 2) Quod proinde Christus est Salvator omnium hominum, etiam suae Matris. 3) Quod proinde B. Virgo peccavit in Adamo et habuit debitum contrahendi peccatum originale ex vi suae conceptionis; in quod de facto incurrisset, nisi fuisset a Deo praeservata singulari gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis.

Quarta. Ex ipsamet definitione dogmatica videtur necessario inferri aliud corollarium, nempe quod non potest

amplius iam sustineri modus ille explicandi praeservationem B. Virginis ab originali culpa, quem multi tenent Theologi, inter quos Ambrosius Catharinus Ordinis Praedicatorum, lib. de Peccato originali cap. ultimo et lib. de Conceptione ad Synodum Tridentinam lib. 1. Sic enim ait: „B. Virgo, secundum quod vere fuit filia Adae, debuit hoc peccatum contrahere simul cum aliis; sed quod de facto contraxerit, non est opinandum quovis modo. Quoniam ad incursionem huius peccati non satis fuisset esse filios Adae, nisi facto coniuncta esset causa filiorum cum causa patris . . . Quod ergo Beatissima illa Virgo id non incurrerit, ob eam gratiam fuit, quia excepta fuit in pacto illo.“ Unde hic explicandi modus Immaculatam Conceptionem in hoc videlicet consistit, quatenus: 1) etiamsi homo non peccasset, Filius Dei incarnatus esset; 2) et proinde praedestinatio Christi et Matris eius praescientiam originalis culpae antecessit; 3) et perinde B. Virgo fuit exempta a peccato originali non per exceptionem, quae est, dispensatio legis generalis et quae firmat regulam in contrarium, sed per dispositionem praeviam ante omnem regulam et legem. Atque ita iuxta hunc modum explicandi praeservationem B. Virginis, habetur: 1) quod B. Virgo non peccavit in Adamo; quia causa eius, ut filia Adami, non erat coniuncta cum causa patris, sed cum causa Christi, cuius erat praedestinata Mater antedecenter ad praescientiam originalis culpae; 2) quod perinde B. Virgo ex vi suae conceptionis non fuit obnoxia originali peccato nec debitum habuit contrahendi illud; quia nullus habet hoc debitum, nisi in quantum in Adam peccavit.

Modus iste explicandi Immaculatam Conceptionem videtur esse reiiciendus, non quidem propter fundamentum theologicum, cui innititur, et de quo nihil aliud habemus dicendum, nisi quod iam dictum manet supra qu. 1 a. 3, sed propter consequentias inde emanantes. Quarum prima est, quod B. Virgo fuerit praeservata a peccato originali non ex morte eiusdem Filii praevisa, non intuitu meritorum Christi Iesu; quia ponitur esse iam praeservata ex eo, quod fuit praedestinata Mater Christi ante praescientiam originalis culpae et consequenter ante praescientiam passionis et mortis Iesu Christi. Secunda est, quod B. Virgo non indiguit redemptione et salute, quae est per Christum, quia nullo modo contrahere poterat originale peccatum. Tertia est, quod Christus non est passus nec mortuus pro

sua Matre. Quamobrem iste modus explicandi Immaculatam Conceptionem venit postremo resolvendus in diversos modos posibles sanctificandi B. Virginem ante eius animationem, quos D. Thomas prorsus reiiciendos concludit in Art. 2 dicendo: „Et si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpae et ita non indignisset redemptione et salute, quae est per Christum. Hoc autem inconueniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum.“

Quinta. Ipsemet Suarez, qui admittit et propugnat fundamentum theologicum huius sententiae scilicet: „Praedestinatio Christi et Matris eius praescientiam originalis culpae antecessit,“ licet laboret ad excusandum modum istum explicandi Immaculatam Conceptionem, attamen postea absolute reiicit illum, tamquam incompatibilem cum praeservatione B. Virginis ex morte Filii praevisa et intuitu meritorum Christi. Unde ait: a) „Haec sententia, licet speciem quandam pietatis prae se ferat, tamen nec Scripturis Sanctis nec Patribus videtur consentanea.“ b) Sicut ergo certum est, Christum mortuum esse pro B. Virgine (alias non redemisset illam, quia per mortem nos redemit), ita certum est, B. Virginem mortuam saltem in Adamo. Et eandem vim habent verba S. Pauli 1 ad Corinth. 15: „Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Sicut ergo B. Virgo in Christo vitam habuit, ita et in Adam fuit mortua“. c) „Quia alias sequitur, B. Virginem non fuisse redemptam a Christo, neque eum fuisse pro illa mortuum. Si enim B. Virgo fuit illo modo exempta in pacto et in ipso Adamo, etiam si Deus nolisset Christum mori nec redimere homines, nihilominus non esset in peccato concepta, nec indigeret redemptione, quia non peccaverat in Adamo. Ergo signum est, si ita fuisset exempta de facto, non fuisse redemptam neque Christum pro illa mortuum.“ d) „Quia alias B. Virgo non contraxisset mortem aliasve corporis poenalitates ex Adamo. Consequens est omnino falsum et contra S. Paulum ad Rom. 5 dicentem: Mortem in omnes homines per peccatum introisse. Unde colligunt Sancti, neminem pati mortem, nisi vel ratione peccati, quod ad ipsum pertineat, vel ut pro aliorum peccatis satisfaciatur, quod est proprium Christi. Unde S. Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum c. 4: Pati, inquit, mortem sine meritis mortis de uno sole Mediatore Catholica Fides novit. Habuit ergo B. Virgo meritum

mortis saltem in Adamo. Idem confirmat lib. 1 de peccat. merit. c. 4 et saepe alias. Quare tam ipsi quam alii Sancti vocant carnem Virginis carnem peccati, carnem autem Christi tantum in similitudinem carnis peccati. Quia illa vere habuit mortem carnis ex peccato Adami contractam; hic vero voluntarie assumptam, ut fratribus assimilaretur.“ e) „Quia alias B. Virgo non esset magis redempta quam angeli. Quia (ut ex Zosimo Papa docet S. Augustinus ep. 157 et lib. 3 cont. Iulianum 3) nullus redimitur nisi is, qui sub peccato servit. Ergo ad veram redemptionem necesse est, vel esse in peccato vel saltem esse ita subditum necessitati contrahendi peccatum, ut sine gratia singulari Redemptoris vitari non possit. Sic ergo, si B. Virgo non fuisset (ut ita dicam) vendita in Adamo et de se servituti peccati obnoxia, non fuisset vere redempta. Christus enim illos solos redemit, quos Adam vendidit, et quantum in ipso erat, fecit captivos.“ Hucusque Suarez in 3. P. qu. 27 a. 2 disp. 3 sect. 2.

Sexta. Inde nescimus, quare aliqui Theologi loquentes de morte temporali B. Virginis Mariae, quae vere mortua est, dicunt tamen, quod „B. Maria Virgo non est mortua in poenam peccati originalis“, et quod B. Virgo potuisset non mori, si voluisset. Et intendunt probare, 1) ex eo, quod fuit praeservata ab omni labe culpae originalis; 2) ex propositione 73 inter propositiones 79 Michaelis Baii damnatas a S. Pio V., quae sic se habet: „Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.“ Etenim 1) ex eo, quod fuit praeservata a macula peccati originalis, non sequitur necessario, quod fuerit etiam praeservata ab omnibus et singulis, quae spectant ad peccatum originale, ut sunt poenalitates huius vitae et ipsa mors; quamvis Deus potuisset ipsam etiam praeservare, si voluisset; 2) quod B. Virgo vere mortua est, est signum, quod Deus illam a morte non praeservavit. 3) Quod damnatur in propositione Baii, non est quidem dicere, B. Virginem moriendo poenam solvisse in peccatum originale latam, sed inferre ex eo, quod B. Virgo vere mortua est morte temporali, ipsam contraxisse etiam de facto peccati originalis maculam, sicut omnes alii filii Adami: quod hodie post Bullam *Ineffabilis Deus* iam esset assertio haeretica.

Unde dicere, quod B. Virgo potuisset non mori, si voluisset, videtur esse idem ac dicere, quod B. Virgo fuit sanctificata vi et ratione ipsius praedestinationis ad hoc, quod esset Mater Christi, ante praescientiam originalis culpa; et quod proinde B. Virgo illo modo exempta nec peccavit in Adamo nec habuit debitum contrahendi originale peccatum ex vi conceptionis suae; et tunc redibunt omnia inconvenientia tacta in observatione antecedenti. Videntur huiusmodi Theologi privilegium praeservationis B. Virginis a culpa originali confundere cum statu ipso originalis iustitiae, in quo primi parentes creati sunt vel constituti.

## § 2. Testimonia S. Patrum et Doctorum in contra.

Caietanus tract. de Concept. B. Mariae V. ad Leonem X. P. M. in quinque capita divis. c. 4 sic affert: „Et ne fingere videar, nominatim Sanctos in suis locis afferre censui, ita ut eorum non solum nomina et loca, in quibus haec scripserunt, sed verba afferantur. Occurrunt ergo quindecim Sancti. 1) S. Augustinus super Ps. 34 dicit: Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum, caro autem Domini mortua est propter delenda peccata. Et lib. 2 de Bapt. parvulorum dicit: Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum numquam habuit nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Et lib. 10 super Genes. ad litt. dicit: Corpus Christi quamvis ex carne feminae assumptum sit, quae de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat; tamen quia non sic in ea conceptum fuit, quo modo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. 2) Ambrosius super Ps. 117 „Beati Immaculati in via“ dicit: Venit Dominus Iesus et in carne, quae peccato in Matre fuerit obnoxia, militiam virtutis exercuit. 3) S. Chrysostomus super Matth. dicit: Quamvis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit. 4) S. Eusebius Emissenus Episcopus Serm. 2 de Nativitate Domini, qui incipit „Nostis carissimi“, ait: A peccati originalis nexu nullus immunis extitit nec etiam ipsa Genitrix Redemptoris. 5) S. Remigius super Ps. 21 „Deus, Deus meus“ dicit: B. Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita ut ex ea conciperetur sine peccato Homo Christus Iesus. 6) S. Maximus in Serm. de Assumptione B. Virginis dicit: B. Virgo gloriosa



fuit in utero matris sanctificata ab omni contagione originalis culpa, antequam nasceretur, et per Spiritum Sanctum mundata. 7) S. Beda in homil. super Missus est (et habetur in glossa ordinaria): Spiritus Sanctus superveniens in Virgine mentem eius ab omni vitiorum sorde castificavit et ab omni actu concupiscentiae carnalis cor eius temperavit atque mundavit. 8) S. Anselmus in libro „Cur Deus homo“ c. 16 dicit: Licet ipsa Christi conceptio munda sit, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, et in peccatis concepit eam mater eius. 9) S. Bernardus in ep. ad Lugdunenses dicit: B. Virgo post conceptum in utero iam existens sanctificationem accepisse creditur, quae excluso peccato sanctam fecit nativitatem, non conceptionem. 10) S. Erardus Episcopus et Martyr in Serm. de Nativ. B. V. dicit: O felix puella, quae concepta in peccato purificatur ab omni peccato et filium concipit sine peccato. 11) S. Antonius de Padua Ord. Min. in Serm. de Nativ. B. V. dicit: B. Virgo fuit in utero matris a peccato per gratiam sanctificata et sine peccato nata. 12) S. Thomas de Aquino in 3. Parte qu. 27 a. 2 dicit: B. V. Maria, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit. 13) S. Bonaventura Ord. Min. in lib. 3 Sent. dist. 3 qu. 1 arg. 2 dicit: Dicendum est, quod B. Virgo fuit concepta in peccato originali, et quod eius sanctificatio subsequuta est peccati originalis contractionem. Hic modus dicendi est communior et rationabilior, et securior. Communior, quia fere omnes id tenent. Rationabilior, quia esse naturae praecedit esse gratiae. Securior, magis consonat fidei pietati et Sanctorum auctoritati. 14) S. Bernardinus Ord. Min. in Sermonum suorum opere tertio incipiente „Ignis a facie eius exarsit“ et in tract. de B. V. serm. 4. incipiente „Sicut sol oriens mundo“ dicit: Tertia fuit sanctificatio maternalis, et ista removet culpam originalem, confert gratiam et removet pronitatem ad peccandum tam mortaliter quam venialiter et haec fuit in Virgine Matre. 15) S. Vincentius Confessor in Serm. de conceptione Virginis dicit: B. Virgo fuit in peccato originali concepta, sed eadem die et hora statim post animationem fuit per sanctificationem a peccato contracto mundata. Praeter dictos autem Sanctos multitudo magna antiquorum Doctorum convenit dicens in individuo B. Virginem conceptam in peccato originali, quorum dicta aut in fonte aut in libris Domini Ioannis de Turrecremata et

magistri Vincentii de Castro Novo de Conceptione B. Virginis compilatis, unde sumpta sunt, invenire quilibet potest.“ Hactenus Caietanus.

§ 3. Testimonia S. Patrum et Doctorum in pro.

Suarez in 3. P. qu. 27 a. 2 disp. 3 sect. 5 sic refert: 1) Primo Damascenus orat. 1 de Nativ. V. de illius Concept. agens sic loquitur: Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Et lib. 3 de Fide c. 2 Virginem vocat semper sanctam, et in aliis locis immaculatam, conservatam, Dei sponsam etc. 2) Laurent. Iustinianus serm. de Annunt. ait: Ab ipsa conceptione in benedictionibus est praevenita dulcedinis et a damnationis alienae chirographo prius est sanctificata quam nata. Et in lib. de casto connubio Verbi et animae c. 7 ait: Quotquot ex ipsa nati sunt propagine, excepto dumtaxat mediatore Christo Iesu et eius matre, sub hac peccati lege sunt conditi. Et lib. de gradibus perfect. c. 1 ait: Ab originali delicto nullus excipitur praeter illam, quae genuit mundi Salvatorem. 3) S. Cyrillus Alex. lib. 6 in Ioan. c. 15 sic inquit: Excepto solo Christo et Beatissima eius Matre etiam excepta, omnes in peccato nascimur. 4) S. Vincentius Ferrer, qui licet interdum subobscurius loquatur, tamen in hanc sententiam plane inclinatur in serm. 1 de Nativ. V.; dicit enim, Virginem eadem die et eadem hora conceptionis sine dilatione fuisse sanctificatam, et subdit: Quando corpus B. Virginis fuit perfecte organizatum et anima illi coniuncta per creationem, tunc Altissimus sanctificavit tabernaculum suum. Et serm. 2 de Nativ. V. ad illius Conceptionem accommodat verba illa „Fiat lux“ et addit: Non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, et statim angeli in coelo celebraverunt festum Conceptionis. 5) Patres, qui de Virgine loquentes generaliter et absolute docent, eam fuisse omni culpa liberam et immunem. a) S. Augustinus de nat. et grat. c. 36. b) Ambrosius in Ps. 118 et de Inst. virginum c. 5. c) S. Hieronymus in Ps. 77 et super Ecclesiast. 11. d) Sophronius in 6 Synodo act. 11. e) S. Andreas Cretens. serm. de Assumpt. f) S. Anselmus lib. de Concept. Virg. c. 13. g) D. Thomas lib. 1 Sent. dist. 44 qu. unica a. 3 ad 3 etc. 6) Testimonia tam Sanctorum Patrum quam Ecclesiae in sua liturgia, in quibus B. Virgo dicitur

immaculata, incontaminata, purior angelis, numquam maledicta, prorsus impolluta corpore et spiritu, ea puritate nitens, qua maior sub Deo nequit intelligi. 7) Ea etiam Sanctorum Patrum testimonia, quibus docent, omne gratiae beneficium aliis collatum, perfectiori modo datum esse Virgini. Unum enim ex praecipuis beneficiis divinis est creatio in gratia et perpetua innocentia. Et denique omnia illa veluti principia a D. Thoma stabilita, de quibus supra, et iuxta quae oportet Theologum sermonem regulare, cum de B. Virgine eloquitur.

§ 4. Dicendum ergo: 1) Quod sicut ex testimoniis in pro,<sup>1</sup> absque definitione Ecclesiae, non facile nec certo potest inferri singularis praerogativa B. Virginis, quam hodie sicut dogma Catholicae Fidei iam tunc tenemus, sic ex testimoniis in contra nihil infertur, nisi, 2) quod locutiones generales Sanctorum, sicut et S. Scripturae et Conciliorum, dum excipiunt solum Christum a peccato, habent sensum iuxta legem generalem, unde non excludunt Virginis privilegia. 3) Quod huiusmodi locutiones, etiam cum agitur de B. Virgine, veniunt semper intelligendae ex vi suae Conceptionis seu ex modo generationis. Unde ex illis inferri dumtaxat potest, Sanctos ita loquentes ignorasse factum privilegii. Quod D. Thomas expressis verbis fatetur. 4) Quod in tempore D. Thomae erat communis sententia in contrarium, ita ut sicut S. Bonaventura testatur, talis modus dicendi habebatur veluti communior, rationabilior et securior. Ecclesia enim Romana nihil adhuc locuta fuerat. 5) Quod D. Thomas a) praedictam sententiam non impugnavit; b) sed tamen noluit illam propugnare et tamquam propriam facere. Quod constat ex eo, quod in Summa Theologica omisit, et quidem ex industria, ponere quaestionem in terminis. 6) Quod D. Thomas a) in Sententiis affirmat expresse, licet per transennam, Virginem Mariam

<sup>1</sup> De traditione Patrum quid dicendum sit, ita censet Petavius: „Graeci ut originalis fere criminis raram nec disertam mentionem scriptis suis attigerunt, sic utrum B. Virgo affinis illi concepta fuerit, liquide nihil admodum tradiderunt. Princeps inter Latinos enodandi et accuratius explicandi mysterii illius fuit S. Augustinus: qui et nominatim in ea pertractanda quaestione sanctissimae Dei Matris meminit, sed ita, ut hanc ipsa communi sorte atque lege noxa originalis includat. Cuius duplici in genere testimonia statuenda sunt; nam aliae generales sunt sententiae, quibus solum Christum a peccato excipit; reliquos vulgari parentis utriusque propagatos satis in illud immersos fuisse contendit, alias de Dei Genitrice privatim idem asserit.“

fuisse immunem etiam ab originali peccato; b) tamen fatetur constanter, se ignorare, quo momento temporis B. Virginem fuisset sanctificata. c) Numquam quaesivit ex professo atque in terminis: Utrum de facto B. Virgo fuerit praeservata; d) semper tamen fuit sollicitus ad affirmandum necessitatem redemptionis ex parte B. Virginis et dignitatem Redemptoris omnium hominum sine exceptione ex parte D. N. Iesu Christi. e) Deinde loquitur de B. Virgine, facta abstractione a privilegio nec affirmando nec negando; unde ex huiusmodi locutionibus, v. g. cum in a. 2 ad 4 ait: „B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae,“ male infertur, S. Thomam impugnare privilegium; quia non loquitur de facto privilegii, quod ignorat: unde sicut non affirmat, ita similiter non negat, sed abstrahit ab inquisitione: Utrum scilicet B. Virgo contraxerit de facto vel solummodo ex debito. Et denique f) quod ex intentione reliquit quaestionem indeterminatam, dum in a. 2 concludit: „Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.“ Quonam vero posterioritatis genere? temporisne an naturae et ordinis? Angelicus Doctor ignorabat et noluit determinare. Determinavit quidem, quod B. Virgo indiguit redemptione et salute, quae est per Christum; et quod fuit sanctificata intuitu meritorum Christi et ex morte Filii sui praevisa. Quo autem momento vel instanti temporis D. Thomas non dixit, quia ignorabat. Nos quidem iam non ignoramus; sed per misericordiam Dei certo scimus, quia Ecclesia Christi definivit. S. Thomas ergo in Summa Theol. non adversatur dogmati Catholico de Immaculata Conceptione; sed in hoc a. 2 scripsit magnificentum praeambulum ad ipsiusmet dogmatis solemnem definitionem.

§ 5. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam uuiversalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. (D. Thomas a. 2 ad 2.) Multa enim (inquit S. Augustinus) sub hac Iesu Christi crucifixi sententia continentur. Ego vero in hoc ipso Crucifixi libro hoc eximium Mariae privilegium lego ac agnosco: quia nobilissimo modo eam redimi decebat, de qua caro illa accepta est, quae meruit redemptionem. Confidenter assero, qui Iesum Christum et illum praesertim crucifixum a Maria disiungit, hic profecto et Christum scindit et mysteria

salutis non integre capit. Est enim ab aeterno praedestinatus Iesus, at cum Maria; dictum est pro illo: Adorent eum omnes angeli eius; at non sine illa, quae super eos est exaltata ad coelestia regna. Venit angelus a Deo Patre de coelo, ut evangelizet in terris Verbum bonum; at quis dignus audire mysterium, nisi sola haec Virgo, quae ut prius illud in mente conceperat, ita audito verbo, et praestito pro se et humano universo genere consensu, subito concepit in ventre? Incarnatus est ipse et natus ex tempore, sed de Maria. Reclinatus est in praesepio, sed ab illa. Adoratus est ille a militia coelestis exercitus, sed primum ac potissimum a Maria. Illa enim eum ineffabili caritate excepit in gremium miro fervore, mundissimis pannis involvit, incredibili laetitia ad materna ubera applicuit. Invenitur a pastoribus, mysticis muneribus a Sanctis Magis recognoscitur, semper tamen adest Maria, quae conservat omnia verba illa in corde suo. Implet legis munia, sed non sine Maria. Secedit fugiens herodianam rabiem Infans in Aegyptum; sed individua comes Maria. Praedicat turbis, contendit audire Maria: nam hinc vere beata, quia pro omnibus audit Verbum Dei et custodit illud. Pendet in cruce Iesus, sed prima iuxta crucem Iesu Maria. Ceteri sive mares sive feminae vel fugisse vel a longe seiuncti aut stantes esse leguntur. Deponitur de cruce et involvitur in sindone munda; hic elegans contemplator in sindone illa facile agnoscit eam, quae vere munda circumdedit virum. Sepelitur in sepulcro novo, quod excisum fuit in petra, in quo nullus alius antea positus fuerat; hic aequae licet beato oculo spectare Mariam, in qua vere reconditus est Iesus et servatus. Ipsa enim excisa procul dubio in petra; petra autem erat Christus. Nullus autem positus in ea; quia nullus ibi locus diabolo umquam fuit, cum esset ab initio Sacrum Spiritus Sancti, et mox gazophylacium aeternae virtutis ac sapientiae. Resurgens apparuit mulieribus ac discipulis; sed ut multo et credibilis, primo Mariae. Ascendit in coelum Iesus; sed ut prima et electissima et purissima dona accipiat in Maria, et ineffabilia, quae non licet homini loqui, communicet. Mittit Spiritum Sanctum, sed assistente et orante Maria. Sedet Filius ad dexteram Dei Patris, sed considerare facit et Matrem, ut dignissimam Reginam in gloria consummata, vestitu deaurato, circumamictam varietate. Denique venturus speratur ad iudicandum; quis non etiam cum

illo venientem et assistentem eius lateri contempletur Mariam, sicut scriptum est, quod prudentes virgines occurrerunt obviam sponso et sponsae? Ubi sunt ergo praedicatores isti, qui Iesum Christum praedicant et illum crucifixum, et tamen possunt ibi non spectare Mariam, quae tunc maxime, ut praeclare meditatus est Augustinus, tunc inquam maxime a Christo respecta est, cum caro illa (quam de ipsa trahere dignatus est) pro omnium salute pendeat? Quanto ergo magis pro eius salute, quae causam salutis edidit universis? (Ambrosius Catharinus, Disp. Immacul. Concept. D. Virginis lib. 1.)

---

—❖—

## DIE MITTELALTERLICHEN KIRCHENLEHRER UND DIE UNBEFLECKTE EMPFÄNGNIS DER GOTTESMUTTER.

VON P. JOS. LEONISSA O. M. CAP.

---

—❖—

Zum Schlusse des Marianischen Jubeljahres 1904 erschienen als Festgabe des Collegium S. Bonaventurae ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentium: Fr. Gulielmi Guarrae, Fr. Ioannis Duns Scoti, Fr. Petri Aureoli, Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis. Die beiden ersten behandelten diese Frage in ihrem Sentenzenkommentar (lib. 3. dist. 3.), woselbst Scotus die Meinung seines Lehrers quoad carnis mundationem verbessert; der dritte aber schrieb einen eigenen Tractatus de conceptione beatae Mariae Virginis (1314), welchem er gleichsam als Anhang das Repercussorium folgen ließ. Der Tractatus ist eingeteilt: „in sex capitula . . ., in quorum primo inducuntur auctoritates canonis, deinde auctoritates sanctorum et tertio rationes quibus videtur concludi, quod fuerit in peccato originali concepta; in secundo vero ponentur distinctiones de conceptione et de originali peccato, ex quibus colligitur quaestionis intentio et punctus inquirendus; in tertio quoque probabitur, quod Deus de potentia absoluta Virginem,